

parvi et mali, » Id est miseri. *Gen. xvii, 9.* Sic vice versa bonitas vel bonum sumitur pro laeto, hilari et jucundo, ut : « Ecce quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum. » *Psal. cxxxii, 1.* Ita S. Hieronymus, Chrysostomus, Theophylactus, Euthymius et S. Augustinus, lib. II *De Serm. Domini in monte*, ubi totum hunc Christi sermonem fuisse explicat. Causam dat S. Chrysostomus : « Ut enim eos acrius increparet, inquit, ipsum pene tempus animavit, et voluit afflictum ab omnibus introduxit, quasi quod contra

illos de imposita sibi afflictione superflua clamaret. » Audi et S. Augustinum : « Necessitatem vocat malitiam, quia penaliter est nobis; pertinet enim ad mortalitatem, quam peccandum meruimus. Cum videmus servum Dei providere necessaria, non putemus agere contra Domini preceptum; nam et Dominus propter exemplum loculos habuit, et in Apostolorum Actis legitur procurata necessaria in futurum, ob imminente famem; non prohibemur ergo procurare, sed ob ista militare. »

## CAPUT SEPTIMUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

*Primo prohibet Christus ne alios judicemus et ne sanctum demus canibus. Secundo, vers. 7, docet insistendum esse orationi. Tertio, vers. 13, asserit viam in calum esse arctam et a paucis iniri. Quarto, vers. 15, monet fugiendos esse falsos prophetas et doctores, qui in vestimentis ovis celant hyemum. Quinto, vers. 21, pronuntiat sapientem esse eum qui ita audit verba sua, ut ita faciat et opere implet; ideoque similem esse edificanti domum, non in arena, sed in petra, quae ventis et procellis omnibus resistit.*

1. Nolite judicare, ut non judicemini. 2. In quo enim judicio judicaveritis, judicabimini; et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. 3. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides? 4. Aut quomodo dicis fratri tuo: Sine ejiciam festucam de oculo tuo; et ecce trabs est in oculo tuo? 5. Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui. 6. Nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis, et conversi dirumpant vos. 7. Petite, et dabitur vobis; quærite, et invenietis; pulsate, et aperietur vobis. 8. Omnis enim qui petit, accipit; et qui querit, invenit; et pulsanti, aperietur. 9. Aut quis est ex vobis homo, quem si petierit filius suus panem, numquid lapidem porriget ei? 10. Aut si piscem petierit, numquid serpentem porriget ei? 11. Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris; quanto magis Pater vester, qui in cælis est, dabit bona petentibus se! 12. Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, et vos facite illis. Hæc est enim lex et Propheta. 13. Intrate per angustam portam: quia lata porta et spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem, et multi sunt qui intrant per eam. 14. Quam angusta porta, et arcta via est, quæ ducit ad vitam; et pauci sunt, qui inveniunt eam. 15. Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. 16. A fructibus eorum cognoscetis eos. Numquid colligunt de spinis uvas, aut de tribulis ficus. 17. Sic omnis arbor bona fructus bonos facit: mala autem arbor malos fructus facit. 18. Non potest arbor bona malos fructus facere; neque arbor mala bonos fructus facere. 19. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur. 20. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. 21. Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum. 22. Multi dicent mihi in illa die: Domine, Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo demonia ejecimus, et in nomine tuo virtutes multas fecimus? 23. Et tunc confitebor illis: Quia nunquam novi vos: dis-

cedite a me, qui operamini iniquitatem. 24. Omnis ergo qui audit verba mea hæc, et facit ea, assimilabitur viro sapienti, qui ædificavit domum suam supra petram; 25. et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et non cecidit; fundata enim erat super petram. 26. Et omnis qui audit verba mea hæc, et non facit ea, similis erit viro stulto, qui ædificavit domum suam supra arenam; 27. et descendit pluvia, et venerunt flumina, et flaverunt venti, et irruerunt in domum illam, et cecidit, et fuit ruina illius magna. 28. Et factum est, cum consummasset Jesus verba hæc, admirabantur turbæ super doctrina ejus. 29. Erat enim docens eos sicut potestatem habens, et non sicut Scribæ eorum et Pharisei.

1. **NOLITE JUDICARE** (temerarie et maligne), UT NON JUDICEMINI. — Nota: Christus non prohibet hic publicum magistratus judicium, quo reos condemnat, innocentes absolvit, hoc enim necessarium est in omni republica; sed tantum privatum, cum scilicet temerarium est, aut curiosum, aut detractorium: hoc enim charitati et justitiæ, ipsique Deo, cujus judicium usurpamus, repugnat; proximo enim dati sumus non iudices, sed socii: quare, si temerarie malam de eo habemus opinionem, injuriam ei facimus, eique famam in animo nostro et apud alios, si eam ore proloquamur, eripimus. Fama autem ingens est bonum, majusque quam sint opes. Ita S. Hieronymus, Beda et Augustinus in *Reg. brevior.*, Reg. 164, et S. Augustinus: « Quæ dubium est quo animo fiant, inquit, in meliorem partem vult nos interpretari. Nam *ἐπιτιμία*, id est amor proprius et invidia impellunt hominem, ut in deteriorem partem illa interpretetur. Unde Glossa: « Vix quisquam, ait, invenitur hoc vitio carens, ut suis favens, aliena facile reprehendat. » Audi S. Augustinum, serm. 202 *De Tempore*: « De istis ergo, quæ sunt Deo nota et nobis incognita, periculose nostros proximos judicamus. De ipsis enim Dominus dixit: *Nolite judicare, ut non judicemini*. De illis vero quæ aperta sunt et publica mala judicare et redarguere, cum charitate tamen et amore, et possumus et debemus, odio habentes non hominem, sed peccatum, non vitiosum, sed vitium detestantes, morbum potius quam ægrotum. Nam publicus adulter, raptor, assidue ebriosus, proditor, superbus, si iudicati vel castigati non fuerint, implebitur in eis illud quod beatissimus martyr Cyprianus de talibus dixit: *Qui peccantem verbis adulantibus alapat, peccati fontem subministrat.* » Causam perversitatis temerarii iudicii dabit S. Antonius, dilectans nos sæpe falli in ratione gestorum: aliud esse Dei cuncta cernentes judicium, qui non ex superficie corporum, sed ex mentium iudicat æreanis. Equum autem esse nos nobis compati et invicem onera nostra portare, ut concessio examine salvatori proprias conscientias nosmetipsos judicantes intueamur. Ita S. Athanasius in ejus Vita.

Ubi dicitur **JUDICEMINI** — temerarie scilicet et maligne, vel severe et rigide, ut jam dixi; neque ab hominibus, neque a Deo, *q. d.* Ita fiet, ut plurima aliorum iniqua judicia effugiatis, aut saltem ut severum Dei judicium non experiamini. Nota: hoc ut plurimum est verum, non tamen semper. Christus enim, Apostoli et Sancti, qui neminem temere judicaverunt, a Pilato et Judæis temere et injuste iudicati et condemnati sunt: semper tamen id verum est de judicio Dei. Audi S. Augustinum, *De Sermone Domini in monte*: « Temeritas, quæ punis alium, ipsa te puniet; necesse semper iniquitas injuriam facienti. »

Vide hujus rei appositum et illustre exemplum apud Anastasium Sinaitam, orat. *De S. Synaxi*, quod recensuit Jacobi iv, 11.

Nonnulli codices cum Maldonato hic addunt: « Nolite condemnare, et non condemnabimini; » sed id delent Græca, Romana, Tertullianus, S. Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus et alii: esto id habebat Lucas vi, 37.

Narrat Leontius, Episcopus Cypri, in Vita S. Joannis Eleemosynarii, cap. xxxv, Vitalium, qui multas convertebat meretrices, a quodam alapa cæsum et fornicarium judicatum, sed hunc judicem vicissim alapam accepisse a demone ab eoque possessum, nec potuisse liberari, nisi supplicem in cella Viti jam vita functi, ubi et in pavimento cælitus scriptum legerunt: « Viri Alexandrini, nolite ante tempus judicare, quoad usque Dominus veniat. » Porro, quam ipse S. Joannes caveret ne quem judicaret, idemque alios caveret doceret, pluribus idem narrat Leontius. Sapienter S. Bernardus, in *rm. 40 in Cant.*: « Excusa intentionem, inquit, si non potes opus, puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum. »

2. **IN QUO ENIM JUDICIO JUDICAVERTIS, JUDICABIMINI; ET IN QUAMENSURA MENSURI FUERTIS, REMETIETUR VOBIS.** — *In quo et in qua*, id est quo et qua; hoc est, quali iudicio judicaveritis alios, tale et vos subibitis, scilicet temerarium, curiosum, infamans ab hominibus, a Deo autem curiosum exactum, rigidum et severum; Deus enim temerarius esse nequit: sin autem candide et benigne dicta factaque aliorum judicaveritis, in meliorem partem illa interpretando, etiam candidum et benignum de dictis factisque vestris iudicium Dei et hominum experiemini: « Ut enim peccata examinantur tua, ait S. Chrysostomus, legem vestris



ipse posuisti, severius de his que proximus peccaverat, iudicando, quia iudicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam. » *Jacob. II, 13.* Plura de damnis et remediis iudicii temerarii vide apud S. Augustinum, serm. 202 *De Tempore*, et fuis apud nostrum Alphonsum Rodriguez, tract. IV *De Perfectione*, qui est *De charitate fraterna*, cap. xv, et seq.; ac Joannem Bussem in *Pavario*, vers. *Judicium temerarium*. Sane Casianus, lib. V *De Institut. renunt.*, cap. xxx, Machelem abbatem de se narrante inducit, quod in tres defectus de quibus alios iudicaverat, ipsemet iusta Dei permissione incidit, deisque iudicatus sit. S. Dorotheus, *Doctrina*, cap. vi, qui totus est *De non iudicando*, narrat Angelum detulisse animam adulteri cuiusdam ad senem qui illum condemnarat, eique dixisse: « En quem iudicasti vita functus est: quo me jubes igitur animam deferre, ad superosne, an ad inferos? Tu enim iudicem mortuorum te fecisti, et Christi iudicis locum usurpasti; iudica ergo ut iudex hanc animam. » Qua voce compunctus senex, veniam petit totaque vita poenitentiam egit. Denique quam noxium sit iudicare facta aliorum et quam utile iudicare seipsam et sua, pulchris plurium Sanctorum gnomis et exemplis demonstrat noster Mattheus in *Viridario*, part. III, cap. 1, vers. 2, ubi inter alia hæc aures est: « Mendosa amissis etiam recta depravat, » nimirum melancholia, indeque nata proclivitas ad male suspicandum de aliis est mendacissima, ac in se graviter fallit, indeque alios fallit. Quare qui hoc morbo laborat, discat ex experientia suarum suspitionum illas plerumque esse falsas et fallaces; ideoque dicat: « Ego vobis amplius non credam, quia hucusque expertus sum vos esse mendaces. » Sic qui laborat vertigine capitis, ut videantur omnia gyrate volvique, sibi dicit: « Erras, non gyran res ipse, sed gyrat cerebrum tuum: vertigo tua te gyrat. »

ET IN QUAM MENSURA MENSURI FUERITIS, REMETIETUR VOBIS. — Est adagium idem significans, *q. d.* Quali modo et mensura iudicaveris alios, tali et ipse vicissim iudicaberis, tum ab hominibus, tum a Deo; qualem te aliis exhibueris, tales et alii se tibi exhibebunt, scilicet: si benignus fueris, benignos; si severus, severos; si temerarius, temerarios. Mensuram intellige similem, non æqualem. Nam nostra divina exquiri nequit. Dei enim censura, sive severitas et misericordia longe nostram superat, licet severitas ejus de meritis et culpis nostris sit minor. Deus enim peccata punit extra condignum. Christum Dominum secutus S. Jacobus, iv, 11: « Nolite, ait, detrahare alterutrum, fratres. Qui detrahit fratri, aut iudicat fratrem suum, detrahit legi, et iudicat legem. » Vide ibi dicta.

3. QUID AUTEM VIDES FESTUCAM IN Oculo FRATRIS TUI, ET TRABEM IN Oculo TUO NON VIDES? — Græce *ὀφθαλμῶν*, id est non animadvertis. « Festucam: »

Græce *ὀφθαλμῶν*, id est festuca, stipula, sureculus, palea, ligni particula subtilis, que in oculo facile insilit vel involat: hæc enim recte oculo trahi crasse. Festuca proprie est arboris novella, sive ejusque sati pullulus, id est primum germen tenue ex ea pullulans et ebulliens: inde res minimas et tenuissimas significat, quales hic sunt culpæ et defectus leves; trabs vero ibi opposita notat crimina graviora. Eleganter alludit ad visionem oculi. Oculus enim non videt seipsum, suosque nævos, sed alienos. Simili modo critici non vident, nec censent suos defectus, sed alienos: sibi ergo cæci sunt, ut talpæ; aliis oculatissimi, ut lynces; aliorum vel minimis vitiis offenduntur, suis, licet maximis, blandiuntur. Hoc hominum genus eleganter simili schemate perstringit Horatius, dicens:

Cum tua pervisus oculis mala lippos innotuit,  
Cur in amicorum vitis tam cernis acutum,  
Quam aut aquila, aut serpens Epidaurius?

Huc facit vetus adagium: « Non videmus id mantice, quod in tergo est, » de quo extat apologus apud Esopum: « Singuli homines, inquit, duas habent manticas, hæc est peras vel saccos, alteram ante pectus, alteram a scapulis tergoque pendentem: sed in priorem aliena vitia immittunt, in posteriorem sua. » Unde Persicus:

Ut nemo in sese tentat descendere, nemo,  
Sed præcedenti spectatur mantica tergo:

hæc est innata hominibus *φθάρια*.

Eodem apologo criticos anachoretas taxavit et correxerat abbas Prior in *Vitis Patrum*, lib. V libello ix, n. 9. Nam saccum multa implens arena, coniecit in tergum, modicum autem sportam parum arenæ continentem manu ante se gestabat: rogatus cur hoc faceret? respondit: « Saccus ille, qui multum habet arenæ, mea peccata sunt, et quoniam multa sunt, posui ea supra dorsum, ne doleam pro ipsis et plorem; ista autem arena modica peccata sunt istius fratris, et sunt ante faciem meam, et ipsi exerceo iudicans fratrem. » Ibidem, n. 8, abbas Pastor hanc vite regulam cuidam dedit: « Nullum spernas, neque condemnes, et nulli obloquaris, et Deus prestabit tibi requiem, et erit sessio tua sine perturbatione. » Ibidem, num. 3, abbas Isaac, cum quemdam iudicasset, astitit et Angelus, dixitque: « Deus me misit, ut dicerem tibi: Ubi vis ut mittam fratrem illum quem addixisti; » quo audito, veniam supplex petit Isaac, cui Angelus: « Surge, ignoscit tibi Deus, sed custodi de cætero, ne ad iudicandum quemquam, priusquam Deus adiudicet. »

4. AUT QUOMODO DICIS FRATRI TUO, SINE ERUCIÆ FESTUCAM DE Oculo TUO; ET ECCE TRABS EST IN Oculo TUO? — *q. d.* Qua fronte, qua impudentia vis leve vitium proximi carpere et corrigere, cum ipse trabale et immane scelus in mente tua toleres?

5. HYPOCRISIA, ERICE PRIMUM TRABEM DE Oculo TUO, ET TUNC VIDEBIS ERICEM (Græce *δρακίνα; ἰσχυράν*, id est despicies, vel perspicies ut ejicias) FESTUCAM DE Oculo FRATRIS TUI. — *q. d.* Sicut impossibile est ut qui habet trabem in oculo, videat carpatque exillem festucam ex oculo fratris sui, trabs enim oculum occupat et excecet, ut festucam dissitam graviter perqueat; sic pariter fieri vix potest, ut quis gravi scelere mentem rationemque velans et opprimens, recte videat corrigatque aliorum culpas minimas. Quomodo enim potes odisse minimas, qui maximas amas et in seipso foves? Quomodo potes videre minimas in aliis, qui maximas in te non advertis? Purga ergo prius oculum mentis tue a maximis, ut deinde minores in aliis recte dijudicare et emendare addeas.

6. NOLITE SANCTUM DARE CANIBUS, NEQUE MITTATIS MARGARITAS VESTRAS ANTE PORCOS, NE FORTE CONCLUDENT EAS PEDIBUS VESTRIS, ET CONVERTI DIRIGANT VOS. — Christus, more suo, pergit docere per parabolas et adagia, ut dixi Canone 24. Est hic duplex adagium idem significans; utrumque recte conneclitur precedentibus: cum enim paulo ante ostenderit, qui et quales esse debeant qui alios corripunt, hic vicissim docet, qui corripere debeant et doceri, qui non. Idem ergo hic significat sanctum, quod margaritæ, scilicet pretiosam celestemque doctrinam Evangelii, fidei et veritatis, consequenter etiam SS. Sacramenta. Jam per canes et porcos idem notantur, scilicet perversi et obstinati, idque propter immunditiam, qua similes sunt porcis, et propter rebellem oblationem, qua similes sunt canibus. Vetat ergo Christus ne quis eos, qui in scelere suis obstinati sunt et incorrigibiles, ut canes et porci, docere velit et corripere. Rationem addit, quia illi velut porci famelici, stolidi et impudentes, sanctas doctrinas, que animæ cibi sunt, suis appetitibus et immunditiis contrarias contemnunt et calcant; deinde vero acuntur in sermonis auctorem, eumque vel verbis, vel verberibus laceant, Græce *βλάπτουσιν*, id est laniant. Intellige hoc per se: nam per accidens Christus Dominus, S. Stephanus, S. Paulus et alii perversissimis et obstinatissimis Judæis predicaverunt Evangelium, eorumque incredulitatem acriter corripuerunt et castigarunt, licet scirent se idcirco ab eis occidendos. Id enim fecerunt, tum ut publicum perhiberent testimonium veritatis et gloriæ Dei; tum ad contestationem inexcusabilis impietatis improborum; tum propter aliorum astantium utilitatem et vitandum scandalum. Tunc enim sancta non dantur porcis, sed potius Deo et electis ejus. Ita S. Augustinus, qui per canes accipit impugnatores veritatis; per porcos, contemptores. S. Chrysostomus vero per canes accipit gentiles summe immundos; per porcos, hereticos ventri deditos; per Sanctum accipit Baptismum et Eucharistiam, que non debet dari canibus et porcis,

id est immundis et indignis; margaritæ sunt mysteria veritatis inclusa divinis verbis in maris profunditate, id est Scripture altitudine.

7. PETITE, ET DABITUR VOBIS; QUÆRITE, ET INVENIETIS; PULSATE, ET APERIETUR VOBIS. — Hædit ad orationem de qua crepit agere cap. vi, 3 et seq., ad eamque instanter adhortatur.

PETITE. — Scilicet, per orationem a ea que hæctenus docui, quasi vobis necessaria, sed ardua et difficilia, ac presertim que in oratione Dominica, cap. vi, 7, petenda præscripti; nam ad illam, hæc refert Lucas, cap. xi, 9.

Nota: hæc tria *petite, quærite, pulsate*, idem significant, scilicet instantissimam petitionem: nam petere significat fiduciam in oratione cum primis necessariam; quærere, studium et diligentiam; qui enim aliquid quærit, totum mentis studium intendit in id quod requirit; pulsare, perseverantiam. Significat ergo orandum esse ferventer, ardentem, diligenter et perseveranter. Ita S. Augustinus, qui id quod dixerat libro II *Serm. Domini in monte*, cap. xxxiii, *petite* pertinere ad imperandas vires quibus pulsata Dei impleamus; *quærite*, ad invenendam veritatem; *pulsate*, ad aperendum cælum, quo tendimus, quia « possessio ipsa aperitur pulsanti: » id ipsum retractans, lib. I *Retract.*, cap. xix: « Operose, inquit, tria ista qui inter se differant, exponendum putavi, sed longe melius ad instantissimam petitionem omnia referuntur. Hoc quippe ostendit ubi eodem verbo cuncta conclusit, dicens: *Quanto magis Pater vester, qui in cælis est, dabit bona petentibus, et quæruntibus, et pulsantibus.* »

Huc accedit S. Chrysostomus, qui et addit: « Petite, inquit, prorsus id ac nocte orantes; quærite studio et labore; donum enim non datur negligentibus; pulsate oratione, jejuniis et elemosinis; qui enim ostium pulsat, manu pulsat. »

Rursus tria hæc notant auxilium et incrementum orationis, quo gradatim crescere, summe affectum augere et intendere debet: petitur enim aliquid, primo loquendo; mox, si non respondeatur, clamando; si clamor non sufficiat, quæritur modus quo exaudiat, et impetret id quod petit, v. g. rima, per quam vocem in domum ad herum immittat; si nec id sufficiat, pulsatur ostium, pulsatur, que excitatur herus domus, ut respondeat. Sic pariter orans vocem non tam oris, quam cordis, sensum intendere debet, ut primo petit orando et clamando ad Deum; deinde querendo modos omnes Deum quasi excitandi et commovendi, ut concedat quod petitur; denique ingenti et instantissimo desiderio, pulsando quasi cælum, ipsumque cor Dei, ut illud aperiat, indeque dona que petuntur large effundat. Hinc Remigius sic explicat: « Petimus orando, quærimus recte vivendo, pulsamus perseverando. » Alii, *q. d.* Petite fidem, quærite spem, pulsate charitatem. Oratio enim proprie est actus



spei, quae incipit a fide, et charitate perficitur. Denique Climacus, Gradu XXVIII: « Peto, ait, per factum, quare per obedientiam, pulsa per longanimitatem. »

Mystice: S. Bernardus, in *Scala Claustralium*: « Querite, inquit, lectione, inventietis meditatione; pulsate oratione, et aperietur vobis contemplatio. Lectio apponit ori solidum cibum, meditatio frangit, oratio saporem conciliat, contemplatio est ipsa dulcedo quae jucundat et reficit. » Haec quatuor vero ita definit: « Meditatio est studiosa mentis actio, occultae veritatis notitiam ducta propriae rationis investigans. Contemplatio est mentis in Deum suspense elevatio, aeternae dulcedinis gaudia degustans. Lectio inquit, meditatio invenit, contemplatio degustat, oratio postulat. »

Vers. 8. **8. OMNIS ENIM QUI PETIT, ACCIPIT; ET QUI QUERIT, INVENIT; ET PULSANTI, APERIETUR.** — Hoc enim meretur orationis instantia et perseverentia. Intellige, si petat quod oportet et quomodo oportet, ac nisi magis expediat, non accipere id quod petitur; subinde enim petimus ea quae salutaria videntur, sed Deus videt ea nobis fore noxia; quare clementer et sapienter illa negat, sicut mater pueri petenti cultrum, quo se laedit, dare renuit. Audit ergo et exaudit Deus preces nostras, non ad voluntatem, sed ad salutem.

Elegantior et vere S. Augustinus (vel quisquis sit auctor), lib. *De Salutar. monitis*, cap. XXVIII: « Oratio justi, ait, clavus est caeli: ascendit precatio, et descendit Dei miseratio. » Idem: S. Augustinus, in lib. *Sentent. apud Prosperum*, sent. 87. « Quid, ait, infirmo sit ullo, magis novit medicus. Itaque Deus aliquando misericorditer non audit. » Idem, epist. 43 ad Paulinum: « Negat Dominus sepe quod volumus, ut tribuat quod inalemus. » Idem, *De Serm. Domini*: « Cum Deus tardius dat, commendat bona, non negat: diu desiderata dulciora, cito data vilescent; petendo et quaerendo appetitus crescit ut capias. » Glossa: « Non negat se petentibus, qui sponte obtulit se non petentibus; et quaerentes invenient eum, qui non quaerentibus dedit ut invenirent; et pulsantibus aperiet qui clamat: Ecce ad ostium sto et pulso. »

Vers. 9. **9. AUT QUI EST EX VOBIS HOMO, QUEM SI PETERIT FILIUS SUUS PANEM, NUMQUID LAPIDEM FORRIGET FI?** — Pro aut Graeco est  $\eta$ , id est an, quod hoc loco clarior est. Noster tamen verit ut, quia  $\eta$  quoque aut significat. Sic aut pro an ponitur, cum est nota interrogatio, prosertim efficacis, bicornis et dissectae, uti hic est. Sic Comicus in *Eunuchis* ait: « Aut (id est an) ego nesciebam quorsum tu iras? » Efficacius vero est aut quam an, q. d. Aut Deus dedit nobis filiis suis id quod petimus, si homo det filiis panem quem petunt, non vero lapidem; aut si Deus non det, utique nec homo dabit. Deus enim liberalior est homine.  $\tau$  ergo aut combinat Deum cum homine, eumque homini antepoñit.

10. AUT SI PISCEM PETIERIT, NUMQUID SERPENTEM FORRIGET EI? — Serpens enim speciem formamque habet piscis, ut dolose pro pisce substitui possit, sed non nisi ab hoste invito, qualis non est pater. Idem dicit alia similitudine, sed efficaciori: nam si pater filio poscenti panem, daret lapidem, daret rem duntaxat inutilem et incoestibilem; sin vero poscenti piscem det serpentem, non tantum dat rem inutilem, sed et noxiam et venenatam, serpens enim comestus a filio, eum suo veneno perimet: quare impius parricida foret pater, qui id faceret quod remississimum est a pietate et amore paterno erga filios: unde illud hic ut ordinarie et moraliter impossibile, a Christo proponitur.

11. SI ERGO VOS, CUM SITIS MALI, NOSTIS BONA DATA (Graeco  $\delta\epsilon\delta\omega\kappa\alpha$ , id est dona) DARE FILIIS VESTRIS; QUANTO MAGIS PATER VESTER, QUI IN COELIS EST, DABIT BONA PETENTIBUS SE? — Cum sitis mali, tum naturali proclivitate in malum, quam contraxistis ex natura per peccatum corrupta, Genes. viii, 21: Ita S. Hieronymus; tum propria voluntate et moribus: tacite enim eos eorumque malos mores perstringit. Unde patet haec ad plebem dici, non ad Apostolos. Apostoli enim boni erant; in plebe autem multi erant mali et vitii irretiti. Unde S. Augustinus: « Malos, ait, vocat saeculi dilectores. » Aliter S. Chrysostomus: « Ad comparationem Dei omnes, licet boni, inquit, videntur mali, sicut ad comparationem solis omnia, licet lucida, videntur obscura. »

NOSTIS. — Id est consuevistis. Est metalepsis, quia enim rite novimus ea quae facere consuevimus; hinc nosse significat consuecere. Sic dicitur, *Psal. ciii*: « Sol cognovit occasum suum. » q. d. Sol scit ubi solet occumbere, sed toties tritum a se iter optime novit; unde per illud quotidie pergit ad locum in quo occumbat, q. d. Sol quotidie ibi occumbit, ubi solet occumbere.

DABIT BONA, — Lucas habet: « Dabit spiritum bonum; » omnia enim bona per gratiam Spiritus sancti dantur, ait Remigius. « Bona » vera et soluta intellige, quae ducunt ad beatitudinem. Unde S. Augustinus: « Aurum, inquit, et argenteum bona, non quod te faciant bonum, sed unde facias bonum. »

12. OMNIA ERGO QUAEQUUNQUE VULTIS, UT FACIANT VOBIS HOMINES, ET VOS FACITE ILLIS: HEC EST ENIM LEX ET PROPHETA. —  $\tau$  ergo nonnulli censent hic non habere vim illationis, sed quasi encliticum redundare; sic enim cum sermone concludimus, vel novum dicendi argumentum ordimur, dicimus: Ergo, ut concludamus, sit haec summa dictorum; vel: Ergo sit novum rei probatae argumentum: unde  $\tau$  ergo  $\omega\mu\alpha\lambda\lambda\alpha$  Syrus, quia et Lucas, cap. vi, 31.

Potest tamen  $\tau$  ergo hic proprie sumi ut illationem, sed ita ut conclusionem inferat non ex his quae proxime precesserant, licet id velit S. Chrysostomus (qui sic explicat, q. d. Ergo ut bona

Primum Elixius typicolum.

quae oratio petitis, a Deo Patre impetretis, vos quoque bona, quae proximi a vobis petunt, illis tribuite, sicut vultis vobis eadem tribui; verum eam inferat ex ulterioribus et remotius dictis more Hebraeo: puta ex his quae tum cap. v et vi, tum initio hujus capituli dixit de dilectione proximorum, etiam in micorum, de danda elemosyna, de danda venia offendentibus, de non iudicando. Unde Lucas, vi, 30, illis haec ita connectit: « Omni, inquit, petenti te tribue, et qui auferat quae tua sunt, ne repetas; et prout vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis similiter; » ac verisimile est Christum haec ita dixisse et connexisse, ut habet Lucas. Sensus ergo est, q. d. Quae haecenus sparsim dixi de diligendo proximo, deque danda elemosyna, illa omnia ex hoc primo naturae diclamine et primo philosophiae moralis principio oriuntur, atque haec equitate nituntur, ut quod tibi fieri velis, id aliis facias, ac quod ab aliis pati nolis, id alteri non irroges. Intellige quod *velis et nolis* recte et honeste, juxta iudicium rectae rationis: nam gulosus, v. g. qui vult sibi propinari: vinum usque ad erupulam, non potest licite aliis illud ita propinare: sed sicut hoc sibi perperam vult, ita et perperam facit illud aliis propinando. Alludit ad monitum quod Tobias moriens dedit filio cap. iv, 16, dicens: « Quod ab aliquo oderis fieri tibi, eade non aliquando alteri facias. »

HEC EST ENIM LEX ET PROPHETA. — q. d. Hoc spectat, hoc per varia praeccepta jubet lex et Propheta: haec est summa legis et Prophetarum. Nam ex hoc principio: « Quod tibi vis fieri, hoc alteri fac; et quod nolis tibi fieri, alteri ne facias, » recte particulatim elicitor et concluditur: tu non vis tibi eripi vitam, uxorem, famam, opes, etc.: ergo eadem aliis non eripito, sed conserva et foveto. Ita S. Augustinus.

Nota: non dicit Christus totam legem hoc spectare, quia lex etiam spectat sanctique dilectionem Dei, idque vel maxime: potest tamen hoc quoque vere dici, quia scilicet dilectio proximi includit dilectionem Dei ex eaque procedit, sicut ramus ex radice; nec enim proximus charitate diligitur, nisi propter Deum primo et per se dilectum. Simile est *Galat. v, 14* et *Rom. xiii, 8*: « Qui, inquit, diligit proximum, legem implevit. » Simili phrasi ait Ecclesiasticus, xii, 13: « Deum time, et mandata ejus observa: hoc est enim omnis homo. » Vide his locis dicta.

Vers. 13. **13. INTRATE PER ANGSTAM PORTAM: QUIA LATA PORTA, ET SPATIOSA VIA EST, QUE DUCIT AD PERDITIONEM; ET MULTI SUNT QUI INTRANT PER EAM.** — « Angusta porta, » qua intratur in caelum ad beatitudinem et convivium gloriae celestis, est lex Dei, ait S. Augustinus, quae cupiditates nostras arctat et constringit: item obedientia, continentia, mortificatio, crux quotidiana, quam lex vel fieri vel portari jubet. « Porta lata, » quae ducit ad perditionem vel gehennam, est concupiscentia,

libertas nimia, gula, libido, etc. Respicit Christus ad suas legum partim sanctiones, partim interpretationes, quas recensuit statuitque cap. v, dicens: « Qui dixerit fatue, reus erit gehennae ignis. Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam moechatus est eam in corde. Si oculius tuus dexter scandalizat te, erue eum. Ego autem dico vobis, non jurare omnino, etc. non resistere malo: sed si quis te percosserit in dexteram maxillam, praebet illi et alteram. Qui petit te, da ei. Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos. Estote perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est, etc. » Haec omnia enim sunt ardua et arcta. q. d. Videor vobis melis praecceptis arctasse viam salutis, sed scitote illam in se esse arctam, ideoque me eam non arctasse, sed talem, qualis revera est, descripsisse duntaxat: via enim ad gloriam coelestem est puritas et sanctitas, quae in statu hoc naturae corruptae in arcta cupiditatum reformatione et mortificatione consistit, quia enim per libertatem et voluptatem lapsus est Adam, et in eo nos omnes in peccatum, indeque in omnem concupiscentiam: hinc omnium horum remedium non est aliud, quam arcta continentia, crux et mortificatio; contraria enim contrariis curantur. S. Ambrosius, in *Psal. i*: « Due, inquit, sunt viae: una iustorum, altera peccatorum: una aequitatis, altera iniquitatis. Iustorum via angustior est, injustorum latior: illa sobrietas angustior, haec ebrietas latior, ut possit capere fluctuantes. » Et paulo post comparans hanc viam latam cum angusta: « Hic, inquit, libertas cupiditatum, illic servitutis injuria; hic convivium, illic jejunium; hic intemperantia gaudiorum, illic perseverantia lacrymarum; hic saltatio, illic oratio; hic cantus dulces, illic gemitus graves. » Clemens Alexandrinus, lib. IV *Strom.*, citat laudatque illud Hesiodi: « Sudor ante virtutem est positus, via longa est atque declivis ad ipsam; » et illud Simonidis: « Fertur virtus habitare in rupibus aditu difficilibus. » S. Basilus in *Psal. i*: « Via, inquit, ille facilis et lata, pronoque cursu declivis habet de cipiente demonem malum, qui per voluptatem se sequentes ad perditionem trahit; asperae vero et acclivis ardua Angelus praesidet homini, qui per strenuos pro paranda virtute labores ad finem beatum sequaces suos deducit. » Quocirca Lucas, xiii, 24, habet: « Contendite intrare per angustam portam; » ubi pro *contendite* Graeco  $\sigma\tau\epsilon\lambda\lambda\alpha\sigma\tau\epsilon$ , id est agonizate, et quasi in agone et agonia contendite, extremas summasque vires velut agonizantes exerite, quasi pro vita, si vincitis, vel morte, si vincimini, luctaturi, juxta illud Apostoli: « Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet; et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. » I Cor. ix, 25. Agonem ergo obimus, et in eo agonizamus certamusque pro caelo vel inferno, pro gloria vel gehenna, pro aeternitate

Rati & prior.



beatissima vel miserima. Quisque videat quomodo tantum agonem agonizet; nam stadium et via ad vitam est crux; stadium et via ad perditionem est voluptas. Via ad perditionem est concupiscentia carnis, concupiscentia oculorum et superbia vite; via ad vitam est contentia, paupertas spiritus et humilitas; via ad perditionem est amor mundi et mundanorum; via ad vitam est contemptus mundi et mundanorum. Quocirca S. Barlaam Josaphat regi dixit viam ad vitam esse martyrium vel sanguinis, vel voluntatis et penitentiae; hanc enim viam inivit, nobisque praeivit Christus: haec de causa primos Christianos ejusque sequaces ultro se obtulisse martyrio; sequentes vero, cessante persecutione, voluntarium sibi indixisse martyrium austeræ vitæ in cœnobis, in desertis et speluncis. Ita refert Damascenus in *Histor.*, cap. xii.

Sic S. Perpetua (quam celebrat S. Augustinus in *Psalm.* XLVII et alibi) vidit scalam auream; sed undique circumseptam cultris et gladiis, per quam scandendum erat in cœlum, atque hac visione cognovit sibi quisque portendi martyrium. Vidit enim S. Satyrum, unum e sociis, per illam animose ascendentem, cæterosque ad se sequendum exhortantem, ut habet ejus Vita apud Surium septimo die martii.

Hinc rursum ex hac Christi sententiâ, S. Wilhelmus, ex duce Aquitanie penitens eremita colligebat, ressectis omnibus superfluis, indulgentum esse corpori in solis necessariis: « Quanti fratres, inquit, in Ægypto, quam multis annis Domino sine piscibus servierunt! Quantis tyrannus in inferno positus abunde sufficeret extra infernum saccus Hieronymi, tunica Benedicti, matula Eulalii, lacryme Arsenii, nuditas Apostoli, olla Elisæ! sed vae nobis miseris, qui fortitudine mentis enervati et fragilitate corporis prægravi, superfluitatem convertimus in necessitatem. Jam non est, quo se immisceat caritas, ubi totum occupavit vanitas. » Dicebat insuper servum Dei omni hora cogitata, dicta, gesta debere circumspicere, ne in ipsis contingeret oculos Creatoris offendere. Servum Dei semper aut orare, aut laborare, aut cœlestia cogitare debere. Ita Theobaldus episcopus in ejus Vita, cap. xxiii. Exstat apud Surium die decimo februarii.

Vidit idipsam per umbram Pythagoras, qui dicitabat viam virtutis initio esse arctam et strictam, sed deinde sensim dilatari; viam vero voluptatis initio esse amplam, sed sensim magis magisque arctari: « Tribulatio enim et angustia in animam omnis hominis operantis malum; gloria autem, honor et pax omni operanti bonum. » *Roman.* ii. Caritas enim et gratia Christi dilatant cor, ut fidenter dicat fidelis cum Psalte: « Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilatasti cor meum. » *Psal.* CXVIII, 32.

Symbolum Pythagoræ hac de re erat littera Y,

quod eleganti epigrammate explicuit Virgilius dicens:

Littera Pythagoræ discrimine secta bicorni,  
Humanae vitæ speciem prætere videtur.  
Nec via virtutis dextram petit ardua callem,  
Difficileque editum primum spectantibus offert,  
Sed requiem præbet fessis in vertice summo.  
Molle ostentat iter via lata: sed ultima meta  
Præcipit captos, volvitque per ardua saxa.  
Quisquis enim duros cassus virtutis amore,  
Vicerit, ille sibi laudemque decusque parabit.  
At qui desidiam luxuriamque sequatur inertem,  
Dum fugit oppositos incauta mente labores,  
Tarpis inopesque simul miserabile transiget ævum.

14. QUAM ANGUSTA PORTA ET ARCTA VIA EST, QUE DUCIT AD VITAM; ET PAUCI SUNT, QUI INVENIUNT EAM! — Idem dicit repetitque ad majorem emphasis, ut id altissime cordibus nostris imprimat, ut notat S. Basilium in *Brevior.* reg. 241. Hæc est vox æternæ sapientiæ: qui sapit ergo, et serio animam suam salvare satagit, arclam viam capessat. Unde Theophylactus et Euthymius censent hanc esse vocem Christi admirantis, q. d. Pauci! quam angusta est via ad vitam!

Mensuram hujus angustiae et arctitudinis viæ ad cœlum æque ac paucitatis eorum qui illam capessunt et salvantur, æstima ex typis, quorum primus est Lot, qui solus cum duobus filiabus evasit incendium Sodomæ et Pentapolis, cæteris omnibus ob libidinem eo concrematis. Mundus enim est instar Sodomæ, ardetque cupiditate et luxuria: quocirca longe major pars eorum qui damnantur, ob pollutiones et libidines damnantur, ait Toletus, imo id revelatum est S. Christine Mirabili, ut habet ejus Vita. Secundus typus est in diluvio: hoc enim solus Noe evasit cum septem animabus, cæteros ob peccata diluvium absorpsit. In mundo enim est exundatio et diluvium scelerum, indeque penarum et ærumnarum omnium. Tertius est in ingressu terræ promissæ, quæ erat typus cœli: hanc enim, ex sexcentis millibus Hebræorum, duo soli, puta Josue et Caleb, ingressi sunt. Num. xiv, 30. Quartus typus est in strage Chaldæorum comparat paucis spiciis post messem, et paucis uvis post vendemiam remanentibus, imo duabus vel tribus olivis post excusionem oleæ reliquis: li sunt typus paucitatis salvandorum. Quinto, id patet ex irrefragabili Christi sententiâ, dicentis: « Multi sunt vocati, pauci vero electi. » *Matth.* xx. Sapienter enim monet Cassianus: « Vive cum paucis, ut inter paucos inveniri salvarique merearis. » Multitudo denique damnatorum liquet ex magnitudine inferni, quæ est stadorum 1600 (*Apocal.* xiv, 20), hoc est ducentorum milliarum Italicozum (octo, enim stadia faciunt unum milliare idque quaquaversum, scilicet, ut infernus profundus sit 200 milliarius Italicis, totidem longus et totidem latus), quod spatium capiet multa millena millia

millionum damnatorum, qui in inferno compingentur sicut halices et pisces in vase. Vide dicta *Apoc.* xiv, 20 (1).

Porro, hæc sententiâ vera est, si omnes omnino homines accipias. Longe enim major hominum pars est infidelium, Turcarum, Saracenorum, hereticorum. Sed et de fidelibus S. Chrysostomus, hom. 40 ad *Populum*, censet vix millesimum quemque salvari; ait enim: « Quot esse putatis, qui in civitate nostra (Antiochia) salvantur? infestum quidem est quod dicturus sum; dicam tamen: Non possunt in tot millibus (facile erant Antiochiæ centum millia et plura) centum inveniri, qui salvantur, quin et de his dubito. Quanta enim in juvenibus est malitia! quantus in senibus torpor! nemo salutem habet, multitudo sumus fœni, inordinatum mare. Et S. Augustinus, libro IV *Contra Crescent.*, cap. lxxx, Ecclesiam comparat arce in qua plures sunt paleæ quam grana tritici, puta plures mali quam boni, plures damnandi quam salvandi. Verum alii mitius probabiliter censent majorem partem fidelium salvari, quia major pars moritur perceptis sanctis sacramentis, quæ justificat peccatores, etiam attritos duntaxat, non contritos. Hoc verum videtur de iis qui non vixerunt in peccatis continuis et quasi habitatis, ut concubinatus, usuræ, odii, rixarum, etc. Hi enim ægre concipiunt sermum et effleat emendationis propositum; aut si illud concipiunt, mox eos rursum in morte, juste permittente Deo in vindictam scelerum præteritorum, tentat diæmon illecebrosa præterite et crebro usurpatæ voluptatis illicitæ memoria, eam refricando et acuendo qui proinde homo infirmus ex habitu facile cedit et consentit, itaque peccat et damnatur; cuius rei plura extant exempla. Plura de numero electorum et reproborum dixi *Jacobi*, ii, 13, ad illa: « Superexaltat autem misericordia iudicium. »

15. ATTENDITE (Græce *μεινίσθε*, id est cum attentione cavete, attente servate vos; Syrus, *Custodite vos*) A FALSIS PROPHETIS, QUI VENIUNT AD VOS IN VESTIMENTIS OVIBUS, INTRINSECUS AUTEM SUNT LUPÍ RAPACES. — Transit Christus ad saluberrimum de cavendis falsis doctoribus monitum, qui docent viam in cœlum non esse arctam, sed laxam, ideoque suos sequaces non ad cœlum, sed ad tartara transmittunt. Docent enim non esse jejundandum, non confitendum, non esse servandum virginitatem, nec vota religionis, omnemque carni liberatam indulgent, ac bonis operibus omnem merendi vim adiungunt.

Nota: Propheta in Scriptura non tantum vatem, qui futura præsumunt, sed et multa alia per catachresin significat, scilicet, nunc virum sanctum et religiosum, nunc cantorem, nunc miraculorum operatorem, nunc et sæpius doctorem.

(1) Hæc tamen ratio est infirma, cum locus Apocalypsis qui adducitur alio sensu sit accipiendus.

olim enim Prophete erant doctores populi; qua de re plura dixi *1 Corinth.* xiv, initio capituli; et *Ecdi.* XLVIII, 14. Propheta ergo est doctor, qui officium videndi et cognoscendi ea qua aliis non sunt manifesta, proficitur, sive futura prædicat, sive non. Propheta enim Hebr. vocatur *videns*, quod videt arcana et aliis abscondita, quæ sunt in primis futuris. Falsi Prophete ergo sent falsi doctores, sive illi heretici sint, sive gentiles et pagani, sive alii quilibet, qui nos ab arcta et recta salutis via in latam et perversam sollicitant: quare similes sunt lupis ovem laniantibus et devorantibus.

Porro vestes ovium, quas induunt hi lupi, sunt præferendæ et obvelare suo errori et heresi: *primo*, libertatem conscientie; *secundo*, sententiâ S. Scripturæ in speciem suæ heresi faventes; *tertio*, reformationem morum Ecclesie, præsertim clerici et ecclesiasticorum; *quarto*, mansuetudinem, simplicitatem et simulationem pietatis; *quinto*, blandiloquentiam et faciendam garrulitatem, quibus tegunt suam lupinam insæviam, seseque in animos audientium callide insinuant, ut eos deinde suo errore inficiant et interficiant, eorumque crumenas emungant opesque devorent: ut enim suo ventre servant, animas sectatorum perdunt mittuntque in tartara, quæ sane lupina est voracitas et feritas.

QUI VENIUNT — a seipsis, sponte sua se ingentes et minus docti usurpantes, cum ab Episcopis et Prelatis Ecclesie non sint vocati, nec missi, nec approbati, de quibus *Jeremiae* XXII, 21, dicitur: « Non mittebam Prophetas, et ipsi curebant. »

16. A FRUCTIBUS EORUM COGNOSCEtis EOS. NUMQUID COLLIGUNT DE SPINIS UVAS, AUT DE TRIBULIBUS FIGUS? *Luce.* vi, 44. — « Colligunt, » non falsi prophetae, sed homines, v. g. agricoltæ. *Colligunt* ergo, id est colliguntur, q. d. Sicut e spinis non solent gigni et colligi uvæ, nec e tribulibus figus; sic ab heresi et hereticis nullus fructus bonus et suavis, sed malus, asper et spinosus colligitur. Fructus hic est duplex: primus falsæ et impie doctrine; secundum pravorum morum et scelerum ex ea consequentium. Exempla hujus sæculo dedere Lutherus et Calvinus. Lutherus enim docet vobis non oblige religiosum, hominem non habere liberam arbitrium, agi futo, necessario peccare, fidem solum justificare, opera bona nil æd. ad Deum mereri. Calvinus docet Deum esse auctorem malorum, Christum in cruce desperasse, sensisso penas inferni, etc., quæ prorsus sunt blasphemæ, ac contra legem ac rationem naturalem; item fidem, id est perfidiam suam armis esse tuendam et propagandam, depositis vel occisis legitimis principibus et regibus, episcopis, sacerdotibus et catholicis illi obstantibus. Unde in Gallia, Anglia, Germania audivimus, et quasi oculis spectavimus tot sacerdotum et catholicorum cedes, rapinas, exilia, ac immane iniquitatis diluvium,



et prohibitis quasi incendium universale, nimirum SS. Sacramenta profanari, sacro-sanctum Sacrificium aboleri, Sanctos contemni, vota violari, templa comburi, sacros canones irritari, sanctas virgines corrumpi, viros probos eliminari, improbos exaltari et dominari, etc. Nam, ut recte aiebat Joannes Fischerus, episcopus Roffensis, gloriosus cum Thoma Moro in Anglia sub Henrico VIII martyr: « Libitio est mater hereseos, æque ac filia. »

17. SIC OMNIS ARBOR BONA FRUCTUS BONOS FACIT; MALA (Græce καρπὸν, id est inutilis, vitiosa, putrida, ait Euthymius) AUTEM ARBOR MALOS FRUCTUS FACIT. — « Non enim ex foliis, neque ex floribus, sed ex fructu arbor bona malave dignoscitur, » ait S. Bernardus, *epist.* 107. « Arbor, » scilicet fructifera; cætera enim dant folia et ramos sine fructu. Sub arbore fructuosæ omnes intellige, quales sunt spinæ et tribuli, de quibus sermo præcessit, quem hic continuit, ut patet ex *vers.* sic, quæ hanc habet vim, *g.* d. Sicut ex spinis non colliguntur uvæ, sed spinæ, nec ex tribulis ficus, sed tribuli (tribulus est spinæ genus, a semine triangulari sic dictum, vel quod cuspidatim trifariam feriat, unde dicta tribulatio); sic ex omni arbore (ex fructu) bona boni nascuntur fructus, ex mala mali. Sic plane res se habet. Sic ubique fieri videmus. Ita Glossa Interlinearis.

Nota primo, per arborem hic ad litteram non accipi voluntatem bonam, sive charitatem; nec per arborem malam voluntatem malam, sive cupiditatem, ut censent S. Augustinus, Chrysostomus, Theophylactus et Lyranus; sed doctorem bonum vel malum, id est verum vel falsum, de hoc enim sermo præcessit; hic enim tantum de fide et doctrina agitur. S. Lucas tamen, *vi.* 43, arborem malam interpretatur hypocritas, quia falsi doctores sunt maximi hypocritæ, tum quia hæc sententia etiam de omnibus hypocritis vera est. Nam Lucas omittit falsos doctores, quos Mattheus apte hic nominat et inserit; propter illos enim proprie hæc parabola affertur a Christo: quare ex Mattheo suppletendus et interpretandus est Lucas.

Nota secundo, per fructus arboris, id est doctoris, accipi tum ejus doctrinam, ut ait S. Lucas, *vi.* 43, quæ a vero vera, a falso falsa permanat; tum ejus opera cum S. Hieronymo, Chrysostomo, Augustino: licet enim falsi doctores et heretici aliquando sanctitatem in bonis operibus præ se ferant, tamen per se et natura sua fides prava in doctore pravo pravos mores et opera progignere nata est, et plerumque reipsa progignit, quod tantum nos docere vult Christus; intendit enim dare vulgare et commune signum pravi doctoris et doctrinæ, quæ vix fieri potest, ut diu hic lupus sub ovina pelle deliteat, quin per opera tandem se prodit: vice versa, fides bona in doctore bono natura sua nata est sanctam vitam sanctosque mores et opera producere, et in multis

producit, etiam subinde per accidens contrarium fiat, ut v. g. hereticus sit largus in dandis elemosynis ex naturali benignitate et compassione: hujus ergo benignitatis, non autem heresis vel erroris, tunc fructus est elemosyna; hæc enim producit a corde benigno, non vere ab heresi. Nam alioqui ex uno hoc, v. g. hereticorum principio, sola fides infusa, sequitur ergo frustra et sine merito quis dat se penitentiam, mortificationem, elemosynam arduisque virtutum operibus; comedamus ergo et bibamus, omni voluptati fræna laxemus, quasi crasi morituri, et ebrui cælum ingressuri.

18. NON POTEST ARBOR BONA MALOS FRUCTUS FACERE; NEQUE ARBOR MALA BONOS FRUCTUS FACERE. — *g.* d. Non potest spina producere uvas, nec tribuli ficus; sed spina spinas, tribuli tribulos, ut dixi *vers.* 16; ac vice versa non potest vitis producere spinas, sed uvas; nec ficus tribulos, sed ficus: ac licet ipse uvæ et ficus subinde non maturerent, ideoque acerbe sint, id tamen non provenit ex vitio vitis et ficus, sed ex aeris intemperie et solaris caloribus; sic pariter non potest Propheta, id est doctor verus falsa docere vel prava agitare; nec falsus doctor potest vera docere, vel recta sanctaque peragere. Intellige in censu composito et formalis, quatenus scilicet bonus vel malus est; nam in sensu diviso et materiali potest doctor bonus a bonitate sua deficere, pravaque docere vel facere, uti Scriba recta docebat, sed prava faciebat; hoc enim eis obijcit Christus, *Matth.* xxiii, 2.

Perperam ergo hæc gnome Christi plures heretici abusi sunt, eamque delorserunt ad suas hereses stabilendas. Primo enim Manichei ex ea si probare conabantur alios homines natura sua esse bonos, alios vero malos, sive duas esse rerum naturas: unam bonam, quæ homines hos faceret bonos; alteram malam, quæ alios faceret malos, teste S. Hieronymo hic. Secundo, Jovinianus ex hac gnome contendeat hominem natum ex Deo non posse peccare, teste S. Hieronymo contra Jovinianum. Tertio, Pelagiani ex ea inferrebant non esse peccatum originale, quod ex bono conjugio ceu arbore bona, tam mala peccati fructus nasci non possit, teste S. Augustino, *lib. II De Nuptiis et Concup.*, cap. xxvi. Quarto, Donatistæ ex ea colligebant malos sacerdotis ceu arbores malas non bene baptizate, teste S. Augustino, *lib. III Contra Litteras Pelitiani*, cap. xlv. Quinto, Calvinistæ ex ea concludunt in homine non esse liberum arbitrium, ad producendum bona opera vel mala. Sexto, fidem ex ea inferunt bonis operibus nos non justificari, sed tantum justos declarari, sicut arbor non fit bona ex bonis fructibus, sed iis bona esse declarat. Verum hæc omnia perperam inferuntur; sunt enim hoc loco parerga et impertinentia. Christus enim proprie hanc gnomen applicat duntaxat Prophetis, id est doctoribus veris et falsis, uti dixi.

Potest tamen hæc gnome cum S. Augustino, Chrysostomo, Theophylacto, Lyrano et Jansenio accipi generaliter et applicari voluntati bonæ vel malæ, quia plerumque bona vel mala voluntas operum, non omnium, sed aliquorum, ad quæ magis inclinat, bonitate vel malitia se prodit; sequitur enim homo frequentius appetitum in se dominantem. Dices: ergo bona voluntas non potest mala opera producere, nec mala bonos. Respondeo, parabolas non significare quid semper, sed quid sæpe et plerumque fiat, uti crebro ostendi in Ecclesiastico et Proverbiis. Rursus in parabolis non possunt omnia accommodari rei per parabolam significatæ: sufficit enim ea adaptari in quibus parabola vis sine similitudo constituitur, ut dicitur in Canone 29, quæ in hac parabola constituitur in eo quod sicut arbor bona bonos fructus producit, mala malos; sic pariter bona voluntas ex habitu bono plerumque bona opera producat, mala malos; sed dissimilitudo est in eo quod arbor bona vel mala sit causa naturalis, ideoque determinata ad suum fructum bonum vel malum: voluntas vero fit causa libera, quæ, licet ex consuetudine et habitu sit proclivior in bonum vel malum, semper tamen manet libera et indeterminata ad bonum vel malum, donec ipsa se determinet ad hoc vel illud quod ipsa elegerit, tumque ipsa actu fit bona vel mala ex electione et operatione bona vel mala, quam eligit et exercet. Quocirca non ait Christus: Arbor bona non potest fieri mala, nec arbor mala potest fieri bona; sed: « Non potest arbor bona malos fructus facere, neque arbor mala bonos, quia dum voluntas bona est et virtuti incumbit, bona opera producit; dum vero mala est, et vitio incumbit, mala opera profert; sed sicut ipsa potest se facere bonam et virtuti incumbere, ita consequenter potest et bene operari bonosque operum fructus producere, ac vice versa potest se facere malam, et vitio studere, itaque vitiosos scelerum fructus edere. Ita SS. Hieronymus, Chrysostomus, Augustinus et alii.

19. OMNIS ARBOR, QUÆ NON FACIT FRUCTUM BONUM, EXCIDETUR ET IN IGNEM MITTETUR. — Hanc gnomen repetit et inculcat Christus, nam eum audivimus *cap. III*, 10, ubi illam explicui. Græce est *excidetur et mittitur*, in præsentis, id est excidendi et mitti solent, idque statim et cito.

20. IGITUR EX FRUCTIBUS EORUM COGNOSCETIS EOS, — scilicet Prophetas, id est doctores, an veri et boni sint, an falsi et pravi. Est conclusio collecta ex parabola arboris bonæ et malæ, cujus sensus patet ex jam dictis.

21. NON OMNIS, QUI DICIT MIHI: DOMINE, DOMINE, INTRABIT IN REGNUM CÆLORUM; SED QUI FACIT VOLUNTATEM PATRIS MEI (et consequenter meam; nam eadem est voluntas Patris et Filii, sed Christus, quæ homo, modestæ causæ, nominat voluntatem Patris, non suam), QUI IN CÆLIS EST, IPSE INTRABIT IN REGNUM CÆLORUM. — Ecce hic clare

fructum arboris bonæ, id est boni doctoris et Christiani assignat Christus, scilicet facere voluntatem Patris cælestis, ut nimirum non tantum creas in eum ejusque legem a Christo propositam, sed ut eandem opere perficias et per omnia implas. Ita S. Augustinus, *lib. II De Scr. Domini in monte*, sub finem. Ait ergo: « Non omnis qui dicit mihi: Domine, Domine, id est non omnis qui in me vocat Dominum et Deum credit, neque ut talem invocat, ait S. Hieronymus, Euthymius, Theophylactus, quique me crebro in ore habet, ac me nominat, meumque nomen suis diebus sueque doctrinæ præfert, quasi predictio fidem veram Christi perique ejus Evangelium, uti jactant heretici: hic, inquam, non intrabit in aulam et regnum Patris cælestis, sed qui ejus fecerit voluntatem, id est ejus præcepta impleverit, quæ sunt duo, scilicet: primo, credere in Christum fide orthodoxa; secundo, Christi mandatis obedire, eaque opere exequi: « Regnum enim cælorum sola verborum officia non obtinent, etc.; de nostro est beata æternitas promerenda, prestandumque aliquid de proprio, » ait S. Illarius; atque: « Ille regni Dei est obedientia, non nominis nuncupatio, » ait Glossa. Unde S. Chrysostomus: « Qui, inquit, non conversatur secundum verbum Christi, non intrabit in regnum cælorum. »

22. MULTI DICUNT MIHI IN ILLA DIE. — Puta in die iudicii, quæ ultima et summa erit mundi dies, ideoque singularis, eximia et decretoria, utpote quæ erit janua æternitatis, eos qui bona opera fecerunt, ad beatam in cælis, qui mala, in miseriam in gehenna æternitatem transmittet: « Quando, ut ait S. Chrysostomus, singularum opera loquentur et ora tacebunt, nec alter pro altero interveniet. »

DOMINE, DOMINE, NONNE IN NOMINE TUO PROPHE-  
TAVIMUS? — Id est, nonne tuo lumine, gratia et virtute futura prædiximus? Unde sequitur, « et virtutes, id est miracula, multas fecimus: » ita Maldonatus. Rursus « in nomine tuo prophetavimus, » id est Spiritu sancto afflatus, ex tua concessione et auctoritate veram fidem docuimus et prædicavimus. Ita Jansenius.

ET VIRTUTES MULTAS FECIMUS. — « Virtutes » vocal miracula, eaque vera et sincera. Ex hoc versu liquet Deum subinde etiam per malos prophetare, id est facere miracula, ut fecit per Judam proditorem, *Luc. x.* 17 et seq., et Calpam, *Jon. xi.* 49, ac Balalam arietum, *Num. xlvij.* 3; nam, ut ait S. Hieronymus, « Virtutes facere interdum non est ejus meriti qui operatur, sed invocatio nominis Christi hoc agit ad aliorum utilitatem. » Unde colligit S. Gregorius, *lib. XX Moral.* vii: « Probatio sanctitatis, ait, non est signa facere, sed proximum ut se diligere, de Deo vera, de proximo meliora quam de se sentire. » Illic discite gratias gratia datas, ut sunt miracula, prophetia, sapientia, multum distare a gratia gratum faciente; hæc



enim sanctificat animam, illa vero alios duntaxat juvant et erudunt.

Impi  
mihido  
proph  
sunt.

Nota: licet impii et falsi doctores ex dono Dei possint prophetae et miracula facere, non tamen ea possunt facere ad confirmandam falsam doctrinam. Miraculum enim, etiam unicum duntaxat, modo verum sit et evidens, est argumentum non tantum probabile, sed moraliter certum vere doctrinae: unde eo ut certo et invicto utuntur Christus et Apostoli ad probandam Christianam fidem. Neque unquam miraculum ullum in confirmationem haeresis vel erroris factum legitur.

Mira  
cum est  
verum  
dicum  
et certum.

Et ratio a priori id evincit. Miraculum enim est singularis, supernaturalis et propria solius Dei operatio, qua, quasi sigillo suo, Deus sua dicta, reclamque fidem et veritatem obsignat: quare si Deus falsum doctorem, invocantem se pro miraculo ad stabilendum errorem, exaudiret, videretur illi cooperari et errori attestari, ac per consequens mentiri et fallere, quod est impossibile; Deus enim est prima veritas, ipsa se veracitas et fidelitas, qui proinde potestatem faciendi miracula sibi soli reservavit, ut per eam, quasi proprium sibi testimonium, sua dicta suasque veritates obsignaret, testaturaque illa a se promanare: miraculum ergo est quasi vox Dei operantis et attestantis se loqui, suaque dicta hoc quasi sigillo obsignare; lecta enim Deo cum Angelis et demonibus sunt communia: quare in his incertum est, an Deus, an Angelus, an diabolus loquatur et operetur. Ita D. Thomas, II 2 p., Q. CLXXVIII, art. 2, et passim Theologi. Unde S. Augustinus, lib. *Contra epist. fundamenti*, cap. iv, dicit se teneri in Ecclesia vinculis miraculorum. Et Richardus de Sancto Victore, libro I *De Trinitate*, cap. ii: « Domine, inquit, si error est quod credimus, a te decepti sumus; ista enim in nobis his signis et prodigiis confirmata sunt, quae non nisi a te fieri potuerant. » Vide Bellarminum, lib. IV *De Notis Ecclesiae*, cap. xiv.

Adverte hic tamen, si cui gratia miraculorum per modum quasi habitus permanentis antea a Deo ob aliam causam esset collata, ille postea posset ea abuti, et miraculum facere ad malum finem, v. g. ad vanam gloriam, ad quastum, ad confirmationem falsi. Tunc enim Deus concurrit quidem ad ipsum miraculum, non tamen ad abutendum et malum finem eius qui patrat miraculum; hunc enim tantum permittit. Sic Deus concurrit cum impio sacerdote ad consecrationem et transubstantiationem Eucharistiae, etiamsi intendat ea abuti ad veneficia, ad blasphemiam, imo ut illum iudeo irridendam et tradendum vendat. Quod dixi, impium posse abuti gratia miraculorum ad malum et confirmationem falsi, intellige, cum passim. constat gratiam hanc illi collatam a Deo ad alium finem, ipsumque illa abuti ad valum vel falsum; sicut constat sacerdoti impio jatum a Deo potestatem consecrandi alio fine, isto ipse ad malum ea abutatur. Pertinet enim ad

Dei providentiam non permittere hominem impium abuti gratia miraculorum ad alios decipiendum et in haeresim inducendum, si hic abusus sit plane occultus, illa ut hominibus constare, vel ab eis deprehendi nequeat. Tunc enim, nomines sine sua culpa, ex auctoritate quasi attestantis Dei inducerentur in errorem, quod est impossibile, necesse Deus hunc errorem per aliud miraculum corrigere et emendare posset. Dicent enim homines: Si prius miraculum factum est ad confirmationem falsi, pari jure secundum fieri potuit ad confirmationem falsi: quare Deus tunc quasi se exarmaret privaretque se sua auctoritate ac fidelitate dicendi et attestandi verum, ac confutandi falsum; haec enim consistit in operatione miraculi. Sic in his quos vulgus *Salvatores* vocat, licet subinde male sint vita, constat, ait Navarrus in *Mamab*, a Deo datam gratiam curandi morbos ad commune Ecclesiae bonum, quia tamen illi ad malum possunt abuti. Sic in Flandria aiunt natos in die Parasceves, item masculum septimum, continua masculorum generatione a parentibus prognatum, curare strumas, eas tangendo: sed prius a Deo datum est diei sanctae Parasceves, et mysterio passionis mortisque Christi; secundum conjugio, ut scilicet illi honoraret, et a Deo institutum, ac a Christo in Sacramentum erectum ostendatur: quare si quis hac potestate ad malum uteretur, omnes scient illum potestate sua abuti, nec Deum ad malum hoc cooperari, sed tantum ad curacionem illam miraculosam alio fine illi datam. Sic regibus Franciae et Angliae eadem potestas dicitur a Deo collata, ob merita sancti Eduardi regis aliorumque; imo Tokerus, quidam novator libellum conscripsit de strumis ab Elisabetha nuper Angliae regina curatis, sed eum valde confutat Delrio in lib. I *Magici*, cap. iii, *Quaest. IV*.

Denique huicque nullum extat exemplum quo doceatur hereticum patrasse miraculum, etiam ex habitu, ad confirmationem haeresis falsaeque doctrinae, nisi quod Calvinus in confirmationem suae haeresis volens resuscitare quendam, qui se fingebat mortuum, cum revera esset vivus, Deo fictionem puniente, ex vivo fecerit mortuum; sed talia miracula, quasi perfidiae indicia, damnant haeresim veramque fidem stabilium. Quod enim Caiphas prophetavit, dicendo: « Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo, et non tota gens pereat. » *Joan. xi*, 50, illaque propheta abusus sit ad confirmationem falsi scilicet ad damnationem Christi, impertinens est: nec enim populus vel sacerdotes sciebant Caipham hic prophetare, sed putabant eum ex proprio suo sensu judicioque loqui. Quod enim Spiritus Sanctus per os ejus dictabat, scilicet expedire Christum mori, ad hoc, ut ejus morte redimeretur genus humanum, hoc Caiphas non intelligens, suo sensu detorsit ad Christi velut malefici, blasphemii et redivos: condemnationem, que in reipsa fuit falsissima

Non Sal  
vatores:   
Nisi in   
die paras  
ceves,   
Septimum   
et socia  
lus; Sa  
nandi   
gratiam   
Deo auc  
cipiant,   
et   
quare?

Rece  
Francie   
et Ang  
liae tam  
magistra  
sanaat.

et injustis. imo. Vide Franciscum Suarez, III part., *Quaest. XLIV*, disput. 31, sect. 2.

Ita 23.  
Luc. XIII.  
57.

23. ET TUNC CONFITEBOR (profitebor, libere et palam asseverabo) ILLIS, QUIA (quod) NUMQUAM NOVI VOS: DISCEDETE A ME OMNES, QUI OPERAMINI INIQUITATEM. — *g. d.* Ego Christus doctoribus falsis et impiis, qui in nomine meo prophetarunt, docuerunt et fecerunt miracula, dicam in die iudicii: Novi quidem vos, ut meos Prophetas, doctores et miraculorum patratores; at non novi vos ut meos amicos et filios, quos praedestinavi ad meam hereditatem et gloriam, hoc est, non amo, non diligo vos, quia voluntatem et legem Patris coelestis, quam alios voce docuistis, ipsimet opere non implestis. Itaque, maledicti, in ignem aeternum, qui operati estis iniquitatem. Ita S. Augustinus, *serm. 23 De Verbis Domini*, ubi interrogans, ait: « Non novit illos, qui novit omnia? quid est ergo, non novi vos? improbo vos, reprobo vos. Hoc est autem magnum, et nescit vitia, et iudicat vitia; nescit faciendum, et iudicat arguendo. » Et S. Gregorius, *hom. 12 in Evang.*: « Velut incognitos, inquit, deserit, quos per vite meritum non cognoscit. » Quocirca Apostolus signacula, quibus Deus suam praedestinationem et amorem erga electos obsignat, duo haec, II *Timoth. ii*, 19, assignat: « Firmum, ait, fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc. Cognovit Dominus, qui sunt ejus, et discedat ab iniquitate omnis qui invocat nomen Domini. » Vide ibi dicta. Est ergo haec notitia in Deo non speculativa, sed practica, amorosa et affectuosa, qua dicimur nosse eum quem diligimus, non nosse eum quem non diligimus, sed odimus et rejicimus, quia amor parit familiaritatem, indeque notitiam rei amate; odium vero parit aversionem, indeque ignorantiam rei exosae. Est catachresis et metalepsis. Hinc a contrario colligit Glossa interlinearis: Si Deus non novit eos, qui Dei mandata non servant; ergo novit diligitque illos, qui ea custodiunt quasi filios lucis. Nam ut ait Glossa: « Non novit lux tenebras, id est non aspiciet, quia si aspiceret, tenebrae non essent. »

24. OMNIS ERGO QUI AUDIT VERBA MEA HEC, ET FACIT HAEC, ASSIMILABITUR VIRO SAPIENTI, QUI EDIFICAVIT DOMUM SUAM SUPRA PETRAM. — Est epilogus, quo Christus prolixum sermonem habitum in monte a cap. v, vers. 1, huicque concludit. *g. d.* Huicque vos docui quomodo vitam prudenter et sancte juxta legem et voluntatem Dei instituere debeatis, si velitis ad Dei regnum et felicitatem aeternam pervenire, quia haec ad illam est directa via, et praeter illam non est alia: quare si illa que docui, opere praestetis, similes eritis viro prudenti, qui edificavit domum suam super petram, et qui edificavit domum suam super petram, ut in ea firmiter fundata, ventis omnibus et procellis irruentibus invicta resistat et immota consistat. Simili enim modo vos, faciendo que docui, constructis quasi fabricam sanctae conversationis et domum perfectionis in

soliditate animi, solidaque et constanti mandatorum Christi observatione et obedientia, quasi in petra fundatam, quae omnibus tentationibus generose obluetur ac perdetur in aeternum.

Alludit ad Proverbiorum x, 23: « Quasi tempestas transiens non erit impius: justus autem quasi fundamentum sempiternum. » Et ix, 1: « Sapientia edificavit sibi domum, excidit columnas septem. »

Nota: domus spiritualis animae est perfectio virtutum: sicut enim domus materialis constructur magno labore, ordine, varietate, sensim crescendo ex variis lapidibus, fignis et trabibus; sic spiritualis edificatur ex variis virtutibus et sanctis operationibus, idque longo labore, ordine, varietate et lento incremento sensim crescendo. Longitudo ejus est longanimitas; latitudo, charitas; altitudo, spes. Quatuor parietes sunt quatuor virtutes Cardinales, scilicet: Prudentia, Justitia, Fortitudo, Temperantia. Pavimentum est humilitas; lectum, patientia; fenestra, desiderium coelestis gloriae, per quam venit et intrat lux Evangelii. Ostium est obedientia mandatorum. Ostiarum est timor sanctus. Custodes sunt sancti Angeli. Turris est contemplatio; canis vigil et improbus motibus morsibusque allatrans est synderesis; Dominus est mens et intellectus; sponsus est voluntas; filii sunt bona opera; servi sunt sensus obsequentes menti; mensa est S. Scriptura; panis est Eucharistia; vinum est sanguis Christi; aqua viva est Spiritus sanctus; oleum est misericordia; lectus est animi quies et pax; medicina sunt Sacramenta; medici sacerdotes; hospites sunt Pater, Filius et Spiritus sanctus. Ita Salmeron. Vide S. Bernardum, tract. *De Interiori Domino*, id est de conscientia, ubi fuse ostendit quomodo haec domus particulatim singulis virtutibus sit edificanda et perficienda.

Denique nota hic primo, contra Novatores, fidem sine bonis operibus, quae fides facienda praescribit et dicitur, non sufficere ad salutem. Christus enim hic fundamentum arenarium, sive in arena fundatum vocat solum fidem ex auditu predicationis conceptam, quae instar arenae arida est, inutilis et diffusiva; petram vero vocat fidem bonis operibus solidatam. Nota secundo ordinem Christi; nam primo, vers. 13, docuit necessitatem vere fidei et verorum doctorum; secundo, vers. 21 et seq., necessitatem etiam bonorum operum et vitae sanctae.

Mystice: petra est Christus; unde Glossa: « Ille, ait, edificat in Christo, qui, quod audit ab illo, facit. »

25. ET DESCENDIT PLUVIA, ET VENERUNT FLUVII. MINA, ET FAYERUNT VENTI, ET IRRUERUNT IN DOMUM ILLAM, ET NON CECIDIT; FUNDATA ENIM ERAT SUPRA PETRAM. — Arab. : *quantum fundamenta ejus firmata erant super petram. Pluvia, venti, flumina sunt quaevis adversitates et tentationes tum a mundo, tum a carne, tum a demone ingruentes: item condemnationio, quam Christus*

Domus spiritalis est perfectio virtutum.

Primum est humilitas; totum ge-  
dentiali-  
parietis  
quae  
virtus  
Cardina-  
les, etc

Ver. 15.  
Luc. vi.  
45.



in improbos detonabit et fulminabit in die iudicii; hæc enim sæpe in Scriptura nomine tempestatis et procelle exprimitur, ut *Isaia XXVIII, 2*: «Ece validus et fortis Dominus sicut impetus grandinis; turbo confringens sicut impetus aquarum multarum inundantium et emissarum super terram spatiosam.» Simile est *Psalm. XLIX, 3*, et *Sapient. v, 18* et seq., ubi graphicè ira et vindicta Dei in reprobos per procellas, fulmina et grandines depingitur.

Fidelis ergo in Christo Christique lege, timore et amore velut in firmissima petra fundatus, non curat flabra persecutionum, nec fluctus adulationum, nec zephyros promissionum, nec aquilones minarum, nec nimbos probrorum, nec procellas verberum, sed in vocatione et officio suo, in timore et amore Dei inconcussus consistit, sicut Marpesia cautes, sicut rupes, quæ maris fluctibus undique tunditur, ventis agitatur, grandine et ælimine feritur, et tamen immota invictaque persistit. Exemplum fuit S. Petrus qui in petra, id est Christi amore solidatus, omnia adversa pervicit. Unde, *Act. IV, 20*, a Principibus Sacerdotum jussum cessare a prædicatione Christi, respondit: «Non possumus quæ vidimus et audivimus non loqui;» quem locum citans S. Chrysostomus hic, *serm. 25*: «Considerasti, inquit, grande mentis invictæ excelsum. Vidisti petram undarum murmura deridentem. Vidisti domum contra ventorum flatus prostris immobilis. Quod enim multo est amplius admirandum, non modo deterriti per adversa non sunt, verum etiam majorem inde assumpserunt constantiam, et persecutores suos in trepidationem maximam compulerunt. Quicumque enim adamantem percussit, magis ipse percussit; et qui adversus stimulum calcitrat, sine dubio ipse compungitur suisque propriis ictibus vulneratur; et qui impugnat virtutem tenentes, ipse profecto subruitur, et malitia tanto efficitur infirmior, quanto contra virtutem diutius præliatur. Et sicut qui ignem obligat in vestimento, illum quidem non extinguit, vestem vero comburit; ita etiam qui in virtute positos persequerentur, comprehendebant ac sæpius colligabant, illos quidem reddebant ex his omnibus clariores, se autem omnino perdebant. Etenim quantumque ob justitiam passus fueris adversa, tanto ingenitor efficiens et firmior.»

Virtus  
favita  
omnia  
vincit.

Simili schemate S. Gregorius Nazianzenus, *Orat. 93*, pingit christianum philosophum: «Est quædam in tabulis arbor, inquit, quæ cum cædit, viret, et adversus ferrum certat, morte vivit, et sectione pullulat, atque cum absumitur, crescit.» Non vera, sed tabulosa est hæc arbor, ait scholasticus Nazianzeni: si tamen vis, veram accipe vitam, quæ quo plus putatur, eo magis pullulat et fructificat. Talis quoque est lex horantiam, quæ Chrisi fons bipennibus, ab ipso ducent opes animæque ferro. Pergit Nazianzenus: «Talis plane esse vir philosophus videtur. Floret

enim inter cruciatum, ac vitæ molestias virtutis segetem existimat, atque in adversis gestit et gloriatur: sic nimirum se comparans, ut nec ob dextera justitiæ arma efferratur, nec ob sinistra inflectatur, sed in adversis rebus idem semper, suisque similis permaneat, atque adeo probatur, tanquam aurum in fornace reperiatur.» Particularim deinde per varias hominum sortes et conditiones idipsum ostendit, ac denique concludit tria esse insuperabilia, scilicet Deum, Angelum et Philosophum: «Duo hæc, inquit, arripit ac superari nequeunt, Deus et Angelus: tertium est Philosophus, in materia expertis materiæ, in corpore incircumscriptus, in terra celestis, in passionibus impatiibilis, omnibus rebus vincit se facile ferens, præterquam animi magnitudine, eo ipso quod vincit se patitur, eos qui superiores sibi esse videntur, devincens.»

26. ET OMNIS QUI AUDIT VERBA MEA, ET NON FACIT EA, SIMILIS ERIT VIRO STULTO, QUI EDIFICAVIT DOMUM SUAM SUPER ARENAM. — Recte instabilitas et inobediencia ejus qui audit verba Christi et non facit, comparatur arenæ. Primo, quia sicut arena mollis est, mobilis et fluida, ut fundamenti solidi vicem subire nequeat, ac proinde quod arenæ inædificatur irruentibus undis et ventis cedit ac prolabitur; sic pariter animus instabilis et inobediens fundamentum solidæ virtutis et perfectionis esse nequit, sed ingrueñti tentationi illuc succumbit et corruit, unde fabrica virtutum illi innixa illuc collabitur, uti Christus explicat vers. sequenti.

Secundo, arena est sicca; unde arena dicitur ab ariditate, inquit Varro, vel ab hærendo, quod sibi per particulas adhaeret: sic animus instabilis, qui non facit ea quæ audit, aridus est, et veritatis spiritusque divini succo vacuus, ac terræ et terrenis affixus adheret.

Tertio, sicut arena vento difflatur et dispergitur in omnes partes; sic et animus levis et inconstans omni cupiditatum et tentationum aestu raptatur in omnem concupiscentiam.

Quarto, sicut arena est minutissima, et miliones arenularum sive granulorum complexitur; sic cor instabile mille cogitationibus et desideriis rerum exiliim et minutarum est retortum et dissectum.

Topologie: stultus et mundanus ædificat super arenam, id est super creaturam, ait Salmeron, quæ instar arenæ sterilis est ad bonum; et fluida, ut in peccatum cadat; et fluctibus concussa, quia laboribus et tentationibus agitatur. Est enim sicca, sive bibula et insatiabilis, quia creature hominem satiare non possunt. Est etiam multiplex, quia impii innumerabiles sunt, et stultorum infinitus est numerus. Arena ergo est omnis diaboli populus, sterilis et minime unitus, magnis laboribus agitatus et sine numero, quemadmodum populus Dei unitas est, ut petra, et fortis et fructuosus; quia, etsi multi sunt vocati, pauci tamen electi.

Tria  
insuperabilia  
Deus, Angelus  
Philosophus.

26. Et  
omnis  
qui  
audit  
verba  
mea,  
et  
non  
facit  
ea,  
similis  
erit  
viro  
stulto,  
qui  
edificavit  
domum  
suam  
super  
arenam.

Secundo.

Quarto.

Hinc Elias Cretensis, *in orat. 1* Nazianzeni: «Arenam, ait, est superbia, inanis de se opinio, vanæ gloriæ cupiditas: cui quidquid inædificatur, levi adversitatis vento difflatur et corruit.»

Denique Glossa: «Omni, ait, conscientia, non fixa spe in Deum, in tentationibus non subsistit.» Radix enim et fomes omnium tentationum est mentis inconstancia et diffidentia in Deum, ut ostendi *Ecl. II, 6*, ad illa: «Credere Deo, et recuperabit te; et dirige viam tuam, et spera in illum.»

Vers. 27.  
Luc. 11,  
49. Pluvia  
et  
terrenatio  
mundi.

27. ET DESCENDIT FLUVIA, ET VENERUNT FLUMINA, ET FLAYERUNT VENTI, ET IRRUERUNT IN DOMUM ILLAM, ET CECIDIT, ET FUIT RUINA ILLIUS MAGNA. — Pluvia notat tentationem mundi; flumina, carnis, venti, diaboli. Pluvia enim ex alto descendens terramque irrigans, inflans, tumentemque efficiens et fecundans, notat ambitionem honorum et cupiditatem opum, quas offert mundi homini vano et inconstanti, quibus ille illectus, a Dei lege, et subinde a fide deficit et apostatatur.

Flumina,  
carnis.

Flumina, quæ ex terra oriuntur et domum circumlambunt, notant tentationes carnis, putulam et libidinem, quæ ex ipsa carne oriuntur, eamque oblectando et blandiendo quasi circumlambunt, ut a continentia et puritate quam Dei lex præscribit, desciscant.

Venti, qui ex aere lateraliter et invisibiliter in domum sufflant, notant tentationes dæmonis, qui est spiritus invisibilis et princeps aeris hujus; hic enim mille pravas cogitationes et affectiones phantasie nostræ ingerit et insufflat ita latenter, ut nescias sæpe an ab Angelo, an a diabolo proveniant. Satanas enim transfiguratur se in Angelum lucis, *II Corinth. XI, 14*; quare ipse homines leves et inconstantes agit et rotat ad libitum, ut ab observatione mandatorum Dei ad cupiditates suas deflectant, itaque ruant in tartara; sicut domus arenæ inædificata, flabris ventorum agitata, magno fragore collisæ cadit, corruitque in subjectam vallem vel voraginem.

Vers. 28.  
Luc. 11,  
49. Mir.  
1 22.

28. ET FACTUM EST CUM CONSUMMASSET JESUS VERBA HÆC, ADMIRABANTUR TURBÆ SUPER DOCTRINAM EJUS — adeo nova, clara, solida, paradoxa, inaudita, cælesti, divina, æque ac super novo divinoque docendi modo. Pro admirabantur Græce ἐθαύμαζον, id est exultabantur, scilicet mente, hoc est obstupescabant, percellabantur ita ut videretur eis mens animisque eripi et excuti.

TURBÆ. — Id est vulgaris populus, non principes, ait S. Chrysostomus; unde liquet hunc sermonem a Christo habitum coram populo, ut dixi initio cap. v, licet S. Augustinus, lib. II *De Consensu Evangel.*, cap. XIX: «Forte, ait, intelligitur turba discipulorum, ex quibus duodecim elegerat.»

Hic ergo finitur totus sermo Christi in monte,

confines locum legem et perfectionem Evangelicam; ac licet in ea disparata sint præcepta, nec inter se connexa, si quis tamen eorum inter se ordinem et aliqualem connexionem desideret, legat Bellarminum, lib. IV *De Justificatione*, cap. III, in fine.

29. ERAT ENIM DOCENS (solebat docere; significat enim phrasim docendi consuetudinem et frequentiam) SICUT POTESTATEM (ἐξουσίαν, id est auctoritatem; Syrus, dominium; alii, jus; alii, libertatem) HABENS, ET NON SICUT SCRIBE EORUM ET PHARISÆI. — Primo, quia Christus docebat magna auctoritate res serias, graves et summi ad salutem momenti, ipsamque veritatem; Scribæ vero docebant leviter res frivolas et nugosas, ut ritus et caeremonias, crebrasque lotiones manuum, corporis et calicum.

Vers. 29.  
Luc. 11,  
49. Mar.  
1, 31.

Christi  
modus  
docendi.  
Primo.

Secundo.

Secundo, quia Christus id quod sermone docebat, hoc opere faciebat, magisque docebat exemplo quam verbo. Magna enim auctoritas doctrinae docenti accedit, si bonum quod docet, reipsa perficit. «Longum, ait Seneca, ad virtutem iter est pro præcepta; breve et efficax per exempla.» Audi S. Gregorium, lib. VIII *Moral.* VII: «Cum imperio quippe docetur, quod prius agitur quam dicatur. Nam doctrina subtrahit fiduciam, quando conscientia præpedit linguam. Non ergo potestatem ei elatæ locutionis, sed honestæ fiduciam insinuavit actionis. Unde etiam de Domino scriptum est: Erat enim docens sicut potestatem habens, non sicut Scribæ et Pharisæi; singulariter namque ac principaliter solus ex potestate bona locutus est, quia ex infirmitate mala nulla commisit. Ex divinitatis quippe potentia habuit id quod nobis per humanitatis suæ innocentiam ministravit.»

Tertio.

Tertio, Christus docebat magno spiritu et fervore, magnaque vi et efficacia ad persuadendum; Scribæ aride, frigide et superficialiter.

Quarto.

Quarto, Christus doctrinam confirmabat miraculis; nil tale poterant Scribæ. Rursum Christus miram habebat dicendi gratiam, juxta illud: «Mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ejus.» Luc. IV.

Quinto.

Quinto, Scribæ docebant ut legis interpretes; Christus vero ut legislator et celo missus, cælesti sapientia et majestate; ipse ergo jus proprium docendi habebat. Ita Beda et Theophylactus. Unde Christus, *Joan. III*: «Quod seimus, ait, loquimur, et quod vidimus testamur.» Et Joannes Baptista ibidem de Christo: «Qui de sursum venit, inquit, super omnes est. Et quod vidit et audivit, hoc testatur.»

Sexto, Christus docendo duntaxat querebat se. Dei gloriam et hominum salutem; Scribæ vero suam gloriam et hominum plausum.

Septimo.

Septimo, Christus exterius docendo, interius Septimæ sua sancta inspiratione et luce gratiæ illuminabat mentem, et inflammabat affectum auditorum, ut homines etiam rudes et stultos faceret doctos, ac torpidos et frigidus faceret ferventes.



Denique Christi doctrina erat rectissima, utilissima, integerrima, sublimissima, perfectissima. plenam et consummatam in rebus omnibus, quæ ad mores pertinent, perfectionem continens. Unde legis interpretationes a Scribis prolatas velut mancas, inutiles, imperfectas, imo falsas et erroneas correxit cap. v.

Christum. in niseo imitetur Christianus orator et concionator, ut magis vita doceat, quam verbo, instar S. Basilii, de quo scribit S. Gregorius Nazianzenus, *Orat. 20*: « Sermo Basilii erat tonitru, quia vita ejus erat fulgur. » Sic sua libertate, auctoritate et nervo dicendi utatur, ut quasi Doctor agat cum discipulis, sitque efficax in docendo et persuadendo. Talis erit possessor cathedrae,

dominus pulpiti; talis docebit et prædicabit, ut potestatem habens, instar Christi, sicut fecit S. Paulus et Apostoli. S. Malachia, ait S. Bernardus in ejus Vita, feminam quamdam iracundam et furibundam, ideoque omnibus intolerabilem, adeo mansuefecit, ut videretur nequire irasci, idque uno verbo, dicendo: In nomine Domini Jesu jubeo ne amplius irascaris: quod S. Bernardus præfert suscitationi mortui factæ ab eodem S. Malachia, « eo quod exterior quidam ibi, hic vero interior revixerit homo. » Sic B. Franciscus Borgia dicebat de S. Ignatio de Loyola: « Loquebatur tanquam potestatem habens, » quia efficax erat ejus sermo, et quocumque volebat homines impellebat. Testis est Ribadeneira in ejus Vita.

## CAPUT OCTAVUM.

### SYNOPSIS CAPITIS.

Christus doctrinam Evangelii, quam a cap. v. hucusque docuit, confirmat et obsignat miraculis. Ita S. Hieronymus. Primo ergo, vers. 1, sanat leprosum. Secundo, vers. 3, curat puerum Centurionis. Tertio, vers. 14, soerum Petri liberat a febre. Quarto, vers. 18, duos se sequi volentes jubet omnibus tam opibus, quam parentibus renuntiare, eo quod Filius hominis non habeat ubi caput reclinet. « Et dimittit, ait, mortuos sepelire mortuos suos. » Quinto, vers. 23, sedat tempestatem in mari. Sexto, vers. 28, sanat duos demoniacos, damonesque obscurantes permittit ingredi in porcos, qui mox eosdem in mari submergunt.

1. Cum autem descendisset de monte, secuta sunt eum turbae multae: 2. Et ecce leprosus veniens, adorabat eum, dicens: Domine, si vis, potes me mundare. 3. Et extendens Jesus manum, tetigit eum, dicens: Volo, mundare. Et confestim mundata est lepra ejus. 4. Et ait illi Jesus: Vide, nemini dixeris; sed vade, ostende te sacerdoti, et offer munus quod præcepit Moyses, in testimonium illis. 5. Cum autem introisset Capharnaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum, 6. et dicens: Domine, puer meus jacet in domo paralyticus, et male torquetur. 7. Et ait illi Jesus: Ego veniam, et curabo eum. 8. Et respondens Centurio, ait: Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum; sed tantum dic verbo, et sanabitur puer meus. 9. Nam et ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, et dico huic: Vade, et vadit; et alii: Veni, et venit; et servo meo: Fac hoc, et facit. 10. Audiens autem Jesus miratus est, et sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inveni tantam fidem in Israel. 11. Dico autem vobis, quod multi ab Oriente et Occidente venient, et recumbent cum Abraham, et Isaac, et Jacob in regno caelorum. 12. Filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus et stridor dentium. 13. Et dixit Jesus Centurioni: Vade, et sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer in illa hora. 14. Et cum venisset Jesus in domum Petri, vidit soerum ejus jacentem, et fabricitalem: 15. et tetigit manum ejus, et dimisit eam febris, et surrexit, et ministrabat eis. 16. Vespere autem facta, obtulerunt ei multos daemones habentes; et ejiciebat spiritus verbo; et omnes male habentes curavit; 17. ut adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam, dicentem: Ipse infirmitates nostras accepit, et ægrotationes nostras portavit. 18. Videns autem Jesus turbas multas circum se, jussit ire trans fretum. 19. Et accedens unus Scriba, ait illi: Magister, sequar te quocumque ieris. 20. Et dicit ei Jesus: Vulpes foveas habent, et volucres caeli nidos; Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet.

21. Alius autem de discipulis ejus ait illi: Domine, permitte me primum ire, et sepelire patrem meum. 22. Jesus autem ait illi: Sequere me, et dimitte mortuos sepelire mortuos suos. 23. Et ascendente eo in naviculam, secuti sunt eum discipuli ejus: 24. et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut navicula operiretur fluctibus; ipse vero dormiebat. 25. Et accesserunt ad eum discipuli ejus, et suscitaverunt eum, dicentes: Domine, salva nos, perimus. 26. Et dicit eis Jesus: Quid timidi estis, modicæ fidei? Tunc surgens imperavit ventis et mari, et facta est tranquillitas magna. 27. Porro homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia venti et mare obediunt ei? 28. Et cum venisset trans fretum in regione Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes daemonia, de monumentis exeuntes, sævi nimis, ita ut nemo posset transire per viam illam. 29. Et ecce clamaverunt dicentes: Quid nobis et tibi, Jesu Fili Dei? Venisti huc ante tempus torquere nos? 30. Erat autem non longe ab illis grex multorum porcorum pascens. 31. Daemones autem rogabant eum, dicentes: Si ejicis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. 32. Et ait illis: Ite. At illi exeuntes abierunt in porcos, et ecce impetu abiit totus grex per præceps in mare; et mortui sunt in aquis. 33. Pastores autem fugerunt, et venientes in civitatem, nuntiaverunt omnia, et de eis qui daemonia habuerant. 34. Et ecce tota civitas exiit obviam Jesu; et viso eo rogabant ut transiret a finibus eorum.

1. CUM AUTEM DESCENDISSET DE MONTE, SECUTE SUNT EUM TURBAE MULTAE. — Excitæ vel voce, vel fama doctrinae et concionum ejus; docebat enim ut potestatem habens, uti paulo ante audivimus. Jam dixi initio cap. v, ex Luca, sermonem illum Christi hucusque ab eo habitum post descensum et vertice montis in loco campestris, puta in medio montis, ubi planities erat campestris; ex quo Christus finito jam sermone, descendit in subjectam et imam vallem. Ita Franciscus Lucas.

Aliter Jansenius, qui censet Matthæum hic per hysterologiam posterius ponere descensum Christi e monte, quia Christum alio migrasse narrat: nam descensum Christi e monte hucusque non meminit Matthæus, sed Lucas dumtaxat initio sermonis Christi jam recensiti, quem ipse vi, 47, asserit habitum in loco campestris.

2. ET ECCE LEPROSUS VENIENS, ADORABAT EUM, DICENS: DOMINE, SI VIS, POTES ME MUNDARE. — Idem miraculum describitur a Marco, i, 4, et Luca, v, 12; ex utroque videtur colligi hoc miraculum non contigisse statim a descensu in radice montis: nam Lucas ait id contigisse in una civitate; et quia Lucas, iv, 23, et Marcus, i, 23, prius alia miracula a Christo patrata enarrant. Verum magis ordinata videtur narratio S. Matthæi, juxta quam dicendum hoc miraculum Christi fuisse primum a descensu montis. Ita S. Hieronymus, Jansenius et alii; quod ergo ait Lucas, id contigisse in una civitate, intellige juxta unam civitatem. Nam lege, Levit. xii, 45 et 48, jubentur leprosi omnino separari acrique ab urbibus et castris, ne molis lepram suam affricent: licet alii censeant ibi velari tantum ne morentur in urbibus, non autem ne per eas transeant; quare leprosum hunc in transitu civitatis videri a Christo curatum. Haec civitas. ut colligitur ex

vers. 5, fuit Capharnaum, juxta quam videtur curatus hic leprosus; huic enim civitati adjaacet mons ex quo descendebat Christus, ut dixi cap. v, 1. Vide Chronotaxin, quam Commentario huic prefixi.

Quantus quamque incurabilis et contagiosus morbus sit lepra, inde liquet quod leprosi et lege veteri et usu omnium gentium a consortio hominum arceantur. In leprosis enim contagium est cum seminario, quo sanos tacta, ulcerum fetore et respiratio putida inficere possunt. His proinde a contagio et morbi labe deturpatur facies, pili decidunt, dilatantur nares, exeduntur ossa, lingua tumet, fetet respiratio, omne denique morbi genus, omneque symptoma in leproso comitatu et satellitio reperitur. Morbum ergo elephantinum fucari quidem posse, jure docent medici curari nunquam. Quomodo, ait Avicenna, curabitur lepra, cum sit cancer universalis, quando cancer particularis medicinam nescit? Porro regiones calidae, sa. sse, salsæ, calorisque et algoribus inequaliter impetite, morbis melancholicis et presertim lepræ subjacent. Talis est Judea et pars Ægypti. Unde Galesus, II ad Galic., ait: « Itaque in Alexandria plurimi elephantina, tum ob victus rationem, tum ob regionis caliditatem laborant! » Medici lepræ remedia prescribunt vinum viperinum, hydrargyrum, theriacum, aurum potable; sed horum non est ea vis, ut lepram formidatam et habitu firmatam tollant, leprosusque tota membrorum compage foedatos, cute et carne innovent.

ADORABAT — scilicet in genua et faciem cadendo, nam Marcus addit προσκύνων, id est accedens in ad genua; Lucas, τὸν ἐν ἰσοστάθῃ, id est accedens in faciem. Fecit id leprosus non tantum ut civem honorem, sed potius ut religiosum cultum latria

Quanta  
morbus  
sit lepra?